

facros ordines, & eorum, qui mittendi sunt ad Parochiales Ecclesias. Edidit quoque materna lingua Conciones quinquaginta. Floruit temporibus nostris, & adhuc vivit, & Vicarius Generalis in tota Diœcesi Casinensi existit.

*Obiit post Annum MDLXXIV. Casini.*

CAPUT XXVIII.

DE HIERONYMO.

**H**ieronimus ex nobili Serfaliùm familia Civitatis Cosentiaë originem ducens, in Casino sub Hieronymo de Placentia hujus Sacri Cœnobii Abbate Monachus effectus est. Vir callido quidem, & subtili ingenio, in humanis & divinis literis mediocriter eruditus; verùm in rerum humanarum experientia, & in peragendis negotiis insignis, & admirabilis. Floruit temporibus nostris, & hujus Casinensis Cœnobii Abbas extitit. Sepultus verò est Parmæ in Monasterio Sancti Joannis Evangelistæ, ubi Capitulum generale nostræ Congregationis celebratur. In Anno Domini 1577.

CAPUT XXIX.

DE APOLLINARE.

**A**pollinaris à Bauco ab adolescentia sub Lauro de Mantua Abbate in Casino Monachalem vestem induit, ubi per triginta ferme annos angelicam potiùs, quàm humanam vitam duxit. Hic vir vitæ integerrimæ, humanis & divinis literis satis instructus, adèd in Scripturis Sacris deditus erat, ut exercitationis causa, atque ne otio torpesceret, ex veteri, & novo Testamento, atque ex diversis Catholicis, orthodoxisque Patribus innumeras aureas sententias excerpserit & scripserit. Decanus præterea in hoc Casinensi Monasterio existens, novitiorum curam invitus, ac renitens suscepit. Tali igitur fungens officio, me, licèt indignum, Casinensium Monachorum cœtui adscripsit, sub Domino Matthia de Lignano hujus Cœnobii Abbate, cùm viginti essent annorum, in Anno Domini 1570. De hoc magistro meo illud silentio non prætereundum esse judicavi, quod ad vitæ integritatem & puritatem pertinet. Nam talis ejus vita fuit, ut mortis suæ tempore, in vigilia scilicet Nativitatis S. Joannis Baptistæ, cùm in Missa, Gloria in excelsis Deo cantaretur in Ecclesia, ejus anima ab ergastulo corporis egrediens in Cælum

*Tom. VI.*

**A** ab Angelis deferri cerneretur. Sepultus verò est in Cœmeterio S. Annæ, Anno Domini 1581.

CAPUT XXX.

DE ANDREA.

**A**ndreas à Sueffa, Juvenis præclaræ indolis, & vivacis ingenii, de civitate Neapolitana, ubi à parentibus studiis literarum erudiendus traditus fuerat, egrediens, Casinum advēnit, atque ab Isidoro de Placentia hujus Sacri Cœnobii Abbate Monachus factus est. Hic exiguus quidem corpore, sed ingenio magnus, ab ipso ferè suæ conversationis initio, ob sui ingenii vivacitatem, & rerum mundanarum experientiam, cum singulari quadam prudentia, ac solertia conjunctam, multis annis hujus nostri Monasterii negotiis operam dedit. Inter multa præclara ingenii sui monumenta, existens in regimine terræ nostræ Citrarii scripsit Regesta duo omnium Jurium, & bonorum, quæ in præsentiarum in eadem Terra à nostro Monasterio possidentur. Humanis insuper, & divinis literis apprime eruditus, magnam suam apud omnes adhuc vivens expectationem concitavit. Vivit etiam & temporibus nostris hujus Casinensis Monasterii Præpositus existit.

*Floruit Anno Domini MDLXXVIII.*

CAPUT XXXI.

DE GREGORIO.

**G**regorius Cortesius Mutinensis, Abbas primùm Sancti Petri de Perusio, deinde Sancti Benedicti de Mantua, & S. R. E. Cardinalis à Papa Paulo Tertio creatus, Anno Dom. 1542. Vir utriusque Juris Doctor, & in Divinis Scripturis valde instructus. Scripsit quamplurima carmina in laudem D. Petri, quæ impressa reperiuntur. Obiit Romæ, & sepultus est in Ecclesia Sanctorum Apostolorum Anno Dom. 1584.

ANNOTATIO.

**N**obilissima Familia Cortesiorum ortum suum habuit à quodam Imperiali Vicario cui nomine Ludovicus Cortes, inter Gallos nobilissimus; qui cùm esset à consiliis Pipini Regis Italix, Caroli filii, Civitatem Mutinam inhabitaverat. Ex ea Gregorius noster natus est; vir quidem græcis, latinisque literis instructissimus. Severum Varinum Placentinum Monachum Cisterciensem, raræ & exquisitæ eruditionis virum, præceptorem habuit. Ab ineunte ætate, Civili Canonicoque Juri ope-